

D. D.
APHORISMI OECONOMICI,
COMMERCIA
OSTROBOTNI-
ENSIUM

SPECTANTES,

QUOS,

*Approbante Ampliſſ. Ordine Philoſoph. ad Illuſtre
Atbeneum Aboëſe,*

SUB PRÆSIDIO

**CAROLI FRIDERICI
MENNANDER,**

S. S. Theol. DOCT. Scient. Nat. PROFESS. Reg. & Ord.

& Reg. Acad. Scient. S. S.

Speciminis Loco,

In controverſiam vocandos ſiſtit

JACOBUS CHYDENIUS, Filius,

OSTROBOTNIENSIS,

In Auditorio Super. Die XXX. Sept.

Anni MDCCCLII.

Horis Antemeridianis Conſvetis.

~~~~~  
ABOÆ, Impreſſ. Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

Supremi Dicafterii

*ADSES.  
Nobilissimo atq̃***Do. MARTINO***Patruī nomine  
MÆCENATI**Viris plurimum reveren-***Do. Mag. GUSTAVO JUSLENIO,***Pastori in Cronoby meritissimo;**Fautoribus optimis, ea, quæ Patru-**Viro plurimum reverendo atque præclarissimo***Do. Mag. PETRO HEDMAN,***Scholæ Trivialis Wafensis Correctori,  
Ecclesiæ ibidem Vicario Pastori Laudatissimo,  
Olim Præceptorī fidelissimo.*

Magni Duc. Finlandiæ

*SORI,  
que Consultissimo***POLVIANDER,***ætatem venerando,  
MAGNO.**dis atque præclarissimis***Do. ANDREÆ GADOLIN,***Pastori in Biernå vigilantissimo;**os decet, veneratione prosequendis.**Viro spectatissimo***Do. LAURENTIO J. BRUNELL;***Districtus australis Uhleoburgensis  
Prætorī Prudentissimo,  
Patruī nomine colendo.*


**C**ondonetis, precor, Mæcenas & Fautores o-  
pusculum hocce meum levissimum Nomini-  
favor Vester singularis, quo me & paternam  
vati, tantus fuit, ut vitio mihi & pudori ver-

ptimi, mihi confidentiam, qua Vos interbellare &  
Eus Vestris inscribere sustineo. Sed somitas &  
domum longo temporis spatio beare haud estis gra-  
taretur, si beneficia Vestræ subesse præstandi bene-  
dunt.

dimitterem occasionem, licet illa animus feliciter  
 quam calamus assequatur. Et cum Oconomiam  
 Ostrobotniensem spectent pauca hæc pagella, Vos  
 vero illam & optime calleatis, & ejus incremen-  
 tum tam votis quam opere ipso promovere studeatis,  
 alios, sub quorum patrocinio tutiores essent hæc po-  
 sitiones mee, vix invenire potui. Materia enim  
 illa, de qua ago, adeo Vobis accepta & fami-  
 liaris semper fuit, ut haud ingratum Vobis futu-  
 rum officium hoc meum sperare audeam, sive  
 argumentum, sive auctorem opella intueamini.  
 Chartaceo huic munusculo comites ibunt preces:  
 servet DEUS I. O. M. Vos in longissimam an-  
 norum seriem, in reipublicæ emolumentum & Ve-  
 strorum gaudium!

## NOMINUM VESTRORUM

*humillimus observantissimusque*  
*cultor,*  
 JACOBUS JACOBI CHYDENIUS.



*APHOR. I.*

**C**ommercia cum Ostrobotniensibus erant olim non indigenis modo, sed etiam exteris, in certis præcipue portubus, libera. Post erectas ibidem civitates hæ Aboam potissimum merces suas venales deportarunt, & inde, quæ sibi necessaria erant, compararunt. Jam vero venalia hujus provinciæ tantum non omnia Holmiam tendunt, unde etiam ea, quæ subveniunt incolarum indigentia, reportantur.

*APH. II.*

**Q**uamvis numero civitatum Ostrobotnia nulli ex provinciis Svecogothicis

A

thicis

BB )o( BB

thicis sit secunda, remanet tamen mediterraneis circa merces, præsertim molis gravioris ad emporia devehendas, magna difficultas, & silvæ illorum locorum vastissimæ non possunt in genuinos usus converti. Optandum itaque esset magnopere, ut fluvii, quibus abundat hæc regio, navicularum patientes redderentur, quod absque magnis impensis circa varios eorum fieri posse credimus.

*APH. III.*

**S**itum possident civitates Ostrobotniæ pleræque saluberrimum, ita ut non modo natorum in iis numerus fere quotannis insigniter excedat mortuorum tabulas, sed etiam incolæ civitatum cum suburbanarum parœciarum habitatoribus vivacitate certent.

*APH. IV.*

ⒺⒺ )Ⓔ( ⒺⒺ

3

*APH. IV.*

**M**erces invehendæ heic eædem sunt, quæ in reliquas patriæ oras adventare solent; ut sal potillimum, tabacum, vina, aromata, panni sericei, lanei, & linei tenuiores, &c. Quemadmodum vero instrumenta luxus & deliciæ exoticæ nondum multos in hac provincia inveniunt emtores, ita mercium necessariarum, quasq; consuetudo jam necessarias reddidit, magna satis est consumptio. e g. Uhloam ab anno 1747. ad 1750. inclusive 12003. salis tonnæ, & 8208. tabaci pondera sunt advecta.

*APH V.*

**F**acta quidem sunt in Ostrobotniæ locis maritimis varia salis ex aqua marina coquendi pericula, præsertim iniquioribus fatis sub bello superiori

A 2

ri

4

ᛚᛚ )o( ᛚᛚ

ri navigationis usum interturbantibus. Idem cum aqua fontis cujusdam in Laihela fuit tentatum. Successu tamen optato caruit hoc institutum, neque cum lucro cocturam illam exerceri posse spes aliqua affulget.

*APH. VI.*

**Q**UAMVIS vino ab exteris allato carere nequeamus, sunt tamen apud nos vitis succedanea, baccarum intelligo species varias, apud externos vel rariores vel non reperiundas. Ut hæ plerisque annis Ostrobotniensium campos & silvas ita replent, ut vix locus pedis vacuus ab illis reperiatur, ita ex illis vineæ potus parari, & baccæ ipsæ conditura asservari possent, idque illa copia, ut non usui modo patriæ sufficerent, sed etiam exteris in redhostimentum illarum cupidiarum, quas nos ab illis emimus, offerri possent.

*APH. VII.*

28 )0( 28

5

*APH. VII.*

**T**Estantur instituta varia experimen-  
ta, oves nobiliores exteris civita-  
tis jus in solo Ostrobotnico non dedi-  
gnari, nec Nicotianæ, lini cannabisque  
culturæ hoc clima esse inimicum, pos-  
se etiam rem hortensem meliorem,  
quam, hodie exhibet induere faciem. Un-  
de spes est, posse hanc terram, tempore  
**P**rocedente, inprimis si stagnantium aqua-  
rum onere pernicioso liberata fuerit, lar-  
giri plures species rudium materiarum  
artis opera elaborandarum, in reipubli-  
cæ non minus, quam privatorum gran-  
de & copiosum emolumentum.

*APH. VIII.*

**R**Egni mineralis divitiis, pauca, quo-  
rum vulgatissimus est usus, si excepe-  
ris, hæcenus carendum fuit huic regioni.  
Binæ tantum fervent officinæ ferrariæ, illæ  
quo-



6

EB )o( EB

quoq; ferrum e Svecia allatum depurantes. Quod vero neq; hac in parte Ostrobotnia naturam habuerit novercam, testantur varia mineralium heic reperta indicia; testatur etiam illud, quod calx quoque e transmarinis locis haud ita pridem fuerit adferenda, quæ tamen jam in qualibet fere paroecia ad usus domesticos paratur.

*APH. IX.*

**S**I per indicem quasi exhibere liceret mercium, quæ hinc exportantur, varietatem & copiam, omnium nos habituros assensum speramus, vix aliam provinciam dare æque uberem mercimoniorum proventum. Nobis, ut in uno alterove exemplo acquiescamus, brevitatis imperat. Ita mediis annis 50000. tonnæ picis siveverunt in Ostrobotnia parari. Uhloa vero sola quadrien-

ᄂᄂ )o( ᄂᄂ

7

driennio, ab anno scilicet 1747. ad 1750. 3843. dodecades tonnarum picis liquidæ, 573. tonnas aridæ, 4179. tonnas salmonum salitorum, 4395 $\frac{1}{2}$  butyri, 1020. sebi, &c. Holmiam transmittere valuit. Vetus autem Carlebya eodem tempore 4447 $\frac{1}{2}$  dodecades tonnarum picis, 8024. pondera butyri, 1018. sebi, 8589. dodecades asserum, &c. divendit.

*APH. X.*

**F**RUMENTI quoque eam, dum fertiliores sunt anni, largitur provincia copiam, ut non modo habitatoribus sustentandis satis sit, sed etiam quod abundat alio fuerit transmissum. Itã Uhloa nuper memorato illo quadrien-  
nio circiter 17000. frumenti tonnæ exierunt. Dum vero segetes, vel frigoris vehementia, vel aliis morbis læ-  
dun-

8

ⒺⒻ )⓪( ⒺⒻ

duntur, panem aliunde cariori multo pretio emere coacti fuerunt incolæ. Huic vero malo obicem superiorum provida cura posuit per erecta granaria, quod pro inæstimabili beneficio huic potissimum regioni est reputandum, cujus ope annonæ flagellationi & incolarum per inediam interitui ac dispersioni, quibus hæctenus haud raro fuerunt obnoxii, occurritur, adeoque œconomix incolumitati & perpetuitati prospicitur.

*APH. XI.*

**N**Avium construendarum Ostrobotnienses nostri egregii plane sunt artifices, & earum, quamdiu silvarum adfuit copia, ingentem numerum pararunt. Uhloæ decennio proximo triginta circiter nova navigia sunt constructa, & Vetus Carlebya anno 1744. novem naves majores cum uno dromone ædifican-

EE )o( EE

9

ficandas curavit. Jam vero & raritas lignorum huic usui aptorum in maritimis, & eorum, quorum interest dispicere, ne ad incitas redigantur silvæ, providentia factum est, ut intra augustiores cancellos architectura hæc navalis fuerit restricta.

*APH. XII.*

**I**N nonnullis Ostrobotniæ locis, ut in parœciis Veteris Carlebyæ, Cronoby & Pederføere, frequentes conspiciuntur machinæ ferratoriæ, ita ut pauci inveniantur rusticorum, qui earum non sint participes. Ut hæc jam inopiam silvarum in confiniis pepererunt, ita alibi, ubi major adest lignorum copia, nullæ reperiuntur. Rem quoque facerent harum machinarum possessores utilissimam, si, loco crassiorum, tenues adhiberent ferras, quæ majorem parare possunt asserum numerum.

*B*

*APH. XIII.*

10

⊗⊗ )o( ⊗⊗

*APH. XIII.*

**F**Rondiferas arbores, quarum vastæ  
 occurrunt silvæ, raro in alios usus,  
 quam lignationis, & utensilium dome-  
 sticorum, convertere solent incolæ.  
 Effet vero heic optata occasio cineres  
 clavellatos parandi, & officinis saponariis aliisque, quæ multum requirunt lignorum, commoda in hac regione erigi possent habitacula.

*APH. XIV.*

**Q**Uamvis carniū, pellium, aliorumque regni animalis munerum magnam copiam largiatur a pascuis pratisque celebrata Ostrobotnia, quin tamen, invento stragi animalium, quæ miserum in modum vexavit hanc regionem, genuino remedio, & accedente pratorum pecorumque cura exactiori, posset insigniter augescere hic proventus, nulli dubitamus. Sunt etiam res va-  
 riæ,

ᄇᄇ )o( ᄇᄇ

ᄇ

riæ, quæ hæcenus raro vel nunquam in commercium venire siveverunt, quarum multitudine abundat septentrionalior præcipue hujus iditionis pars. Tales sunt carnes rangiferinæ, & avium ferarum aquaticarumque carnes & plumæ.

*APH XV.*

**P**iscatura Ostrobotniensium, excepta nobili illa salmonum captura, vix plus importat, quam ut propriis inferviat incolarum usibus; quamvis possideat hæc regio ripam maris ultra sexaginta milliaria protensam, & præterea crebris fluviis & lacubus piscosis distingvatur. Quod indicio est, hanc œconomix partem, quæ ex aquis alimoniam procurat, procul abesse a debito fastigio. Multum etiam impedimenti piscium in sinu Botnico augmento ponere crediderim augescentes phocarum copias, qui-  
Lus prosternendis, aut intra modum cogendis

12

☉ ☉ )o( ☉ ☉

gendis, non sufficiunt pauci illi rusticorum, qui cum vitæ presentissimo periculo illis insidias struunt. In optatis itaque est, ut faciliores excogitentur capiendarum phocarum viæ.

*APH. XVI.*

**C**ommercium, quod cum Muscovitis instituunt borealiores Ostrobotnientes & Lappones, illius est indolis, ut difficillime impediri queant importationes & exportationes prohibita; illo quoque facile abstinere possent nostri, cum mercibus illis Muscoviticis absque dispendio carere queant, & hi utiliores haud raro avehant.

*APH. XVII.*

**M**odus ille, qui ad hæc fere tempora civibus Ostrobotniensibus in mercatura cum rusticis instituenda fuit in usu, ut nimirum illi his pecunias, quibus vel ad tributa publica vel alios usus egent, & merces, quas possunt, credere teneantur; hi vero huic mercatori & creditori suo certo omnia, quæ venalia habent, venundare obligentur, neutrae parti utilis censeretur potest.

S. D. G.

